

081

079

085

075

090

070

130

030

180

580

70

Deinde in processu a Turbin (99 a) in pede montis, in quo castum Soldani stat et sub castro ad ingentem unam moscheam venimus, quae erat muris altis et magnis circumdata, et pluribus turribus excelsis munita et ferreis portis clausa. Et dum munitionem miraremur illam, dicebunt nobis Mamaluci, quod ante aliquos annos mortuo Soldano divisi sint Mamaluci in duas partes Duo enim Mamaluci surrexerunt, et unus unam partem populi, alter alteram ad se attraxerunt, et uterque pro Soldano vero se gessit. Unus castrum Soldani habuit, alter in illam moscheam transfugit eamque sic munivit. Habuerunt autem inter se bellum continuum duobus annis, et tandem ille de moschea vicit et expulit alium de castro et Soldanatum obtinuit. Juxta locum illum vidimus castrum grande et vetustum destructumque, in quo ante paucos annos non nisi Christiani habitabant, sed jam nemo penitus id inhabitat, pulsis inde Christianis. His visis iter fecimus per civitatem et ad hospitum festinavimus, verum cum difficultatibus multis turbas hominum penetravimus, et Mamaluci, ductores nostri, cum fustibus multos laeserunt et prostraverunt, ut viam nobis facerent vel ut nocentes nobis repellerent. Percussi autem et laesi a Mamalucis ut viderunt, quod propter nos passi percussionses fuerant, cum indignatione post nos currebant, clamabant, insultabant et pulverem contra nos spargebant et multum nos vexabant. Cum istis autem injuriis et vexationibus in nostrum hospitium lassi venimus, et cibo, potu ac quiete refocillati sumus.

Gesta peregrinorum per dies sequentes recitantur.

Ende

Anfang

Quinta decima die, in praecedenti nocte, quidam mercator Christianus, quem Tanguardinus de catenis solverat, in praecedenti vespera dormivit cum suo carnali fratre in una camera curiae nostrae, nam frater suus de Christianismo venerat Cairum pro ejus liberatione, cumque intempesta nocte omnes dormirent, incepit ille liberatus a catenis tam horribiliter clamare, ut omnes excitarentur et obstupescerent per totam atriam. Causa autem illius clamoris haec erat, ut nobis postea retulit. Jacens enim in lecto cogitare coepit de periculis suis et de vinculis et de ceteris infortuniis, et dum haec clare vigilans revolveret, ingressus

